

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0251

0249

0255

0245

0260

0240

0300

0200

0350

0150

0750

Ende

Anfang

239

Et ego firmiter credo, si hodie ecclesia occidentalis uniretur, quod sine gladio et bello sepulchrum Domini possidere possemus. Cum ergo Ariani illam sanctam ecclesiam gubernarent, et passim Catholicos ejicerent, nec peregrinos in Domini sepulchrum intrare admitterent, et ab his cottidie homocidia fierent et gravissima litigia inter Arianos et Catholicos, conglobati Sarraceni contra Christianos illos et istos de ecclesia ejecerunt, (**266 A**) et omnes seditiosos sive catholicos sive haereticos de Jerusalem expulerunt, ipsam autem dominici sepulchri ecclesiam destruxerunt Sarraceni. Sed non diu mansit illa desolatio: nam omnes episcopi catholici orientis cum caeteris fidelibus circa annos Domini CCCLXXI adeuntes Jerosolymam expulerunt Sarracenos cum Arianis, et ecclesiam dominici sepulchri reformaverunt in structuris, eamque reduxerunt ad veritatem ecclesiae catholicae magno cum labore, quia Ariani potentissimi fuerant facti per orbem, et episcopi, clerici, reges et principes favebant ipsis. Habuit autem haec damnosa haeresis ortum ab Ario, presbytero Alexandrino, qui apud Alexandriam insaniens discordiam in orthodoxa fide serere conatus est, separare etiam Filium ab aeterna et ineffabili Dei Patris substantia, ut Gratianus 24 d. 1. habet, conabatur. Purgata autem ecclesia Jerosolymitana ab haeresi illa, mira cepit pullulare sanctitas in clero et plebe in toto terrarum orbe per trecentos annos usque ad tempora Heraclii imperatoris. Nam inter Constantium Imperatorem, qui regnavit anno Domini 313. et Heraclium, qui anno 611. regnavit, floruerunt illuminatissimi et clarissimi viri, et cum his perversissimi et periculosissimi haeretici, quorum principalis fuit Arius. Et erat tempus illud sanctum et periculum. Sanctum quidem propter sanctos tunc viventes, nam ut de aliis taceam, in medio duorum illorum imperatorum floruerunt quatuor egregii ecclesiae doctores: Ambrosius, Augustinus, Jeronymus et Gregorius. Sanctus etiam Nicolaus, Antonius Magnus, Zenon, Veranensis episcopus, Paulus, primus eremita, Paulinus Trevirensis, Eusebius, Hilarius, Athanasius, Macarius, Maria Aegyptiaca. Et multi eremitae tunc erant per deserta Aegypti, Arabiae, Palaestinae, Lybiae. Singulis autem annis confluebant devoti Christiani de universo

